



Db. 15



50.
59

Oratiuncula

in funere

Excellentissimi & Clarissimi Viri

DN. JOANNIS,

CHRISTOPHORI THEOLOGI F.,

PELARGI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Pro-

fessoris P. Ordinarij

Ex more ante ædes

Prid. Eid. Quinctil. anno regnantis gratiæ

clō. Id. CX XIV.

In maximâ

Civium utriusq; reipub., qui exsequias iwerant,

frequentiâ

H A B I T A

à

M. CHRISTOPHORO

NE ANDRO,

Philosophiæ moralis Professore

Publico.

Exscripta typis

FRIDERICI HARTMANNI,

Francofurticis Viadrum.



Vod Pittacus olim Mitylenæus, Magnifice Dn. Vice- Rector, Illustris & Generose Baro, Viri Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Spectatissimi, vofque genere nobilissimi, ætate, virtute, & arte florentissimi juvenes, adolescentes; Quod, inquam, Pittacus olim Mitylenæus scalâ, quam in templis suspendebat; nobiles præsci lunulis, quas in calceis gestabant; veteres Romani oscillationibus, quibus per sex latinarum feriarum dies vacabant; opertè & latenter adumbrârunt: id ipsum hodiernus dies, quo funeralia iusta Dn. JOHANNI PELARGO, Viri Excellentissimo & Clarissimo, Philosophiæ & Medicinæ Doctori ac Professori Publico Ordinario persolvimus, apertius & parentius, vivoque exprimit apud nos exemplo. Ecce enim, qui superiore anno in Medicâ cathedrâ, quæ D. LAURENTII HELLANDI, Viri & Medici optimi, morte vacua facta erat, Parente utroque, quo nihil liberis jucundius accidere posse Epaminondas olim adfirmabat, vivo & spectante, bonis omnibus congratulanti- bus, collocatus; & ab eo tempore, animo vividus, corpore validus, in publico docendi munere satageus, in faciendâ medicinâ industrius visus erat: eum paucos ante dies maligni morbi contagione infectum, & paullo post doloribus confectum, torminibus ene- ctum, hoc ipso die, nondum vertente anno, Parente utroque, quo nihil ad dolorem acerbius illis cõtingere posse Euripides in Supplicibus scripsit, prosequente, bonis omnibus collacrymantibus, in conditorium suum intulimus. O miram & diram fati legem! o miseram vitæ mortalis sortem! o fluxam rerum humanarû indolem! Profecto enim, sicut per scalas, sive eæ gradibus pluribus, sive lignis teretibus, sive funibus consent, modò adscendimus, modò descendimus: ita fortuna, quam Christianus Christianè appello, ut
pro-

propterea nihil caussæ sit, cur ad mentionem ejus vel horreatis, Au-
ditores, vel hæreatis, inexpectatò nunc sublime fert homines, nunc
humi adfligit: præsens, ut Venusina canit Siren,

*velimò tollere de gradu
mortale corpus: vel superbos
vertere funeribus triumphos.*

Utque nocturni temporis gubernatrix Luna primum obscurior
prodit: deinde lumine augetur: tandem, ubi ad summum lucis ve-
nit, deficit, & penitus non comparet: similem planè in modum ab
exiguis & obscuris initiis homo proficiscitur: qui postea al-
tiorè dignitatis gradum adscendit: unde tandem præceps cadit,
& opinione celerius oculis sese nostris subtrahit. Denique sicut
qui oscillis per lusum se jactant, transverso impositi ligno, de ar-
bore suspenso, alternis se mutuò subjectant atque deprimunt: ita
altissima interdum in imum præcipitant: infima in altum tolluntur:
& cum grandia maximè sperant ac spirant mortales, plerumq; in-
star ventorum desinunt, cum vehementissimè perflant. Quod uti-
nam, atque iterum utinam, non in defuncti Dn. D. JOANNIS PELAR-
GI nobis jam ostensum esset personâ: minus certè Magnificum Do-
minum Rectorem nostrum, curarum & ærumnarum, quarum ad-
fatim ipsi à molestissimo, eoque non uno suppeditat officio, jam
circumstaret: meliusque multò & cum ipso, & cum honestissimâ
Pelargorum familiâ, & literariâ nostrâ, adeoque universâ ageretur
repub.: quibus omnibus repentino ejus viri occasu, & virtutibus
non in herbâ, sed in segete quasi oppressis, grande profecto infli-
ctum est vulnus, ablatum ornamentum, injunctum detrimentum.
Neque enim leve Parentis decus existimari debet filius bene mora-
tus, & in dignitate constitutus: nec exile aut familiæ lumen, aut rei-
pub. columen est Medicus peritus & industrius. Enimverò, ut à de-
genere filio mœror & dedecus; ita à bene morato, si Regū sapientis-
simo, si Hebræorum, qui post Prophetas vixerunt, doctissimo credi-
mus, non tantum gaudium, sed & gloria ad parentes redundat: quo-
rum multi ob nullam aliam vivunt caussam, quàm, quod illos libe-
rorum eximia virtus tradidit posteris. Medicus verò, qui salutis ho-

A 3

minum.

minum, ut Ulpianus loquitur, curam agit, & medicinam aliis adhibet in remedium, aliis in levamentum, viamque medendi junioribus. monstrat: nã is Deus quasi quidam est inter homines: certè quidem ad Deum, salutem ægris hominibus dando, propius accedit: & , ut fons ingeniorum, doctrinæ & virtutis omnis parens Homerus scripsit, unus multorum instar est. Talis autem, non dico futurus erat, sed jam per Dei gratiam erat CL. Dn. JOANNES PELARGUS quippe ab incunte ætate ita se formaverat, ut Parenti in rebus omnibus morigeraretur, & ab honestatis regulâ unguem latum non discederet: idemque veram curandi rationem sibi proposuerat, & ad eam in offenso pede rectis studiis contenderat. Non enim perennibus medicinæ fontibus neglectis rivulos tantum consecrari, nec primâ saltem artis medicæ cute pertentatâ, & aphorismis Hippocratis vix à limine salutatis cruda in ægrorum domos studia inferre voluit: sed gnarus non fungino genere esse Medicos, ut una eos pluvia statim procreet; nec terrigenis similes, quos Poetæ de glebis protinus & sulcis cum clypeo & galeâ producant, octo ipsos annos in studio Medico consumsit: nec ad id, nisi disciplinis liberalibus probè præculturis, accessit. Et quanquam ingenio, decerptâ quasi à Patre aurâ, nec Manilio cedebat Romano, quem Plinius maximis nobilem doctrinis nullo doctore fuisse scribit: nec Phemio Homérico, qui se sibi magistrum fuisse dicit: absque ductore tamen & doctore viam, quam nunquam ingressus erat, ingredi noluit: sed, ut prius in Wittebergensi, Lipsensi & nostrâ hac academiâ Professoribus Philosophiæ; ita post adeptos ex hac, me Decano, A. C. 1609, summos honores, & fundamenta medicinæ sub Avunculo, Dn. CHRISTOPHORO ALBINO, Viro Clarissimo, & Experientissimo, rei que publicæ Stetinensis Medico Ordinario præclare jacta, in Rostochiensis, Argentinenfis & Patavinâ academiâ, quæ Consiliarii Germanicæ nationis, post & Doctoriâ dignitate eum mactavit, summis medicinæ nō institutoribus, sed institutoribus, & Machaonicâ magis quàm Chironicâ arte eruditus excolendum sese dedit. Cumque non tam ex Aristotele, quem ducem sibi semper ad sapientiam delegerat, quàm ex ipso rerum usu didicisset, Medicos ex libris non fieri, magisq; experientiâ illam professionem valere: ut utroque iatrices crure inniteretur,

teretur, extera sibi loca lustranda, & ad Virōs medicinam cum
laude professos iter vel cum periculo, nec sine magnis sumtib. sus-
cipiendum esse duxit. Peragravit ergō terrarum omnium reginam
Italiam: intravit caput olim mundi, & imperii orbis terrarum fon-
tem, nunc Antichristi sedem, Romam: pertransiuit Cereris ortu,
Proserpinæ raptu nobilem Siciliam: substitit aliquandiu Partheno-
pæ: vix bidui itinere à Melite abfuit insulâ; Equitibus Hierosolymi-
tanis superiore seculo à Carolo V. concessâ quam propter mare in-
festum penetrare non potuit. Inde conuerso curriculo Argentora-
tensem repetit in inferiore Alsatâ; tum Parisiensem in Belgicâ
Galliâ salutavit academiam: mox ad Anglos, quorum, ut nostri se-
culi Martialis scripsit,

portæ sunt portus, mœnia classes,

Castra æquor, valli corpora, corda Duces;

& Batavos, Neptuni filios maritimo itinere venit: ubique in inti-
mam Medicorum, qui celebritate famæ etiam exteris notissimi e-
rant, familiaritatem se insinuavit: eorumque ex institutione & diu-
tinâ consuetudine tantam artis medicæ suppellectilem cōparavit:
quantam sibi multi optent, sed ad quam nō omnes adspirent. Quâ
in re ne quid me fingere, aut in majus extollere putetis: vos ego ap-
pello viros & iuvenes, apud quos pié denatus D. PELARGUS artis suæ
periculum fecit, specimen dedit, & si vita mansisset, maioribus ali-
quando theatris proposuisset: vos, inquam, appello, qui eum in fa-
miliaribus congressibus de rebus ex intimâ philosophiâ & medi-
cinâ sumtis linguâ tam Gallicâ & Italica, quæ ipsi quasi vernaculæ
erant, quam latinâ differentem; in publicis confessibus, vel de Chy-
miæ, cuius qui ignarus est, elegantis Medici nomen hodiè tueri vix
potest, senio & genio, usu & fructu verba facientem; vel Institutio-
nes Asclepiadæ artis tradentem cum applausu audivistis: ejus-
demque operâ cum hic, tum Corbusij, ubi ex peregrinatione redux
Physicatu cum dignitate functus est, in morbis usi estis. Disseruit il-
le, docuit, medicinam fecit diligenter, fideliter, feliciter: sed heu
quâm breviter. Dies enim non ita multi sunt, cum uxoris dysente-
riâ correptæ curationi vacans, dum conjugalis fidei tenax, sed vitæ
suæ prodigus, consilium languenti dat & fert auxilium, nec ab ejus

latere unquam discedit, ipse eundem morbum ex contagio contra-
hit: quo præter spem & opinionem omnium, nō tamen ipsius, indies
ingravescente, & omnia medica auxilia respuente, sub ingressum an-
ni ætatis septimi & tricesimi, die ab hinc quinto inter pias preces
& suspiria vivendi pausam fecit: cum quidem horam mortis suæ, ut
Maxentius olim Abbas Pictaviensis, suggerente procul dubio Spi-
ritu Sancto, præfagiisset, & adstantibus prædixisset: nec tam animi
impotentia, & dolorum impatientia, ac vitæ hujus tædio, quàm æ-
ternæ desiderio celeriter dissolvi, & cum Christo Domino esse cu-
piisset. Quanquam igitur defuncto D. PELARGO nihil admodum
contra voluntatem accidit, & præter mortale corpus nihil decessit:
nobis tamen, quia eximia virtus & doctrina eo ipso ferè momento,
quo sese exserere, & reipub. prodesse cæperat, extincta est, multa
perierunt: atque ob id præproperam illius mortem æquo animo
nemo pœnè ferre potest. Luget Senatus academicus & opidanus:
mœret Medicus Ordo: totus cœtus literatus & civicus squaleret in
sordibus, lamentis luctuque jacet vidua, cui ad morbum gravissi-
mum, ex quo nōdum convaluit, nec opinatæ accessit orbitatis vul-
nus: affliçantur cum matre frater germanus, sorores & propinqui:
studiosi denique medicinæ tam benignum, tam sedulum, tam fide-
lem doctorem ducemque desiderant. Sed cum multis ille, ut Hora-
tius utar verbis, flebilis occidit: tum nulli, quam tibi, Magnifice Dn.
Rector, Vir Reverende, Excellentiss., & Clariss., Compater, Colle-
ga & Fautor plurimùm honorande, flebilior. Tu enim eum tan-
quam virtutem tuam & principium roboris tui, quomodo Jaco-
bus Patriarcha in ultimo suo elogio Rubenum primogenitum vo-
cat, validè & calidè amabas: tu *Reverendi Parentis tui*, qui in eccle-
siâ & repub. Suidnicensi vestigia non leviter ad exigui temporis
prædicationem pressit, sed ad memoriam sui fixit sempiternam, bo-
næ scævæ causâ nomen ipsi in salutari lavacro imponi curâras: tu
ad omnem liberalem doctrinam exemplo & monito tuo incitâ-
ras: tu rectam in studiis viam monstrâras: tu instructissimam illi al-
terique filio, qui ut tibi, matrique & reipub. superstes sit, & augendæ
dignitati hereditariæ pervigilibus curis incumbat, Deum quæso, bi-
bliothecam præstinâras & destinâras: tu magnis sumtibus in exteris
academiis

academiis & peregrinationibus alucras: tu in dignitate & honestis-
simo dicendi munere constitutum, Collegamque tuum factum,
gaudebas, & ut diu esset, vovebas: tu eum academiae & reipub. post
te relinquere cogitabas: tu senectutis tuae scipionem, tibi que & ma-
tri oculos clausurum, & funus facturum sperabas. Quod quia jam se-
cus ac pro opinione tua cecidit, nec votis ac optatis tuis fatum re-
spondit: filiusque tuus *jam Doctor, jam Professor, jam Maritus, jam*
Pater in ipso aetatis flore ac robore, in bona & florente fama, atque
in medio honorum cursu extinctus est: nihil quidem ab humanita-
te alienum, nihil naturae, & sacris literis, & fama celebratorum ho-
minum exemplis absolum facis, quod animitus doles: contra gra-
vitatem tamen virilem, & pietatem Christianam, & dignitatem tu-
am feceris; si immoderatus doleas, aut impotentius desideres, aut
ita lugeas filium tuum, ut tuum & illius offendas in caelis Paren-
tem: cujus iudicia, quanquam saepe ignota, nunquam tamen sunt
injusta. Querimoniam igitur omnem dimitte: solatium admitte: mu-
nusque tuum & stationem, quam hac in urbe & universo Marchi-
co orbe a multis jam annis cum dignitate tenes, adspice. Adspice,
inquam, *academiam*, quae te Professore primarium, & a Rectore
semper secundum, nunc etiam quintum Rectorem Magnificum,
ac Senatus Principem agnoscit, comiterque observat: & moderatis
tuis consiliis ipsos duodequadragesima annos se feliciter usam in-
genue praedicat, atque ea in plures adhuc annos sibi profutura desi-
derat. Adspice *ecclesiam* nostram, quae a te Pastore pendet: & majora
subinde in verae pietatis stadio, aurei oris tui & Pericleae vocis du-
ctu, spacia secundis auspiciis facit. Adspice *Marchiam* universam,
quae te Superintendente oculos in coenum traditionum humana-
rum & superstitiosorum rituum olim infossos sensim ad tollit & ab-
stergit, & Orthodoxae veritati portas magis magisque aperit. Adspi-
ce denique *familiam* tuam: quae in te uno secundum Deum spem o-
mnem ponit, praesidiumque collocat ac figit. Hisce omnibus temet
serva: magnoque cave opere, ne aut nimio fletu oculos, jam antea
multa lectione, vigiliis & lucubrationibus imbecilles, non dico de-
turpes, sed debiles: aut immodico luctu vires corporis animique,
laboribus, occupationibus & persecutionibus multis tantum non
pro-

prostratas, penitus frangas: aut perpetuo mœrore cor tuum edas,
valetudinem in adfectâ jam ætate infirmam atque etiam ægram læ-
das, vitâque, quod clementis. Deus averruncet, ante diem excedas.
Quin potius masculino & invictò animi robore hunc fati impetum,
mortis insultum sustine: & in benignissimâ voluntate Dei, qui, ut
verè & sacris literis convenienter Menander scripsit, ærumnam
viris piis conduplicat; qui electos & dilectos suos, quanto amplius
diligat, tanto in triturâ afflictionis durius conterit; nec unquam
malû quidquam immittit, quin inde aliquid boni eliciat, sine mur-
mure acquiesce. Sed manum de tabula: ne videar aut magnitudini
animi tui, quâ utramque ferre soles fortunam, diffidere: aut in syl-
vam ligna ferre: aut ex paupertatis inopiâ drachmam consolatio-
nis ei dare velle viro, qui multis scientiarum abundat talentis. Ad
vos venio, Magnifice Dn. Vice-Rector, Illustris & Generose Baro,
cæterique Excellentissimi, Prudentissimi & Præstantissimi viri, ju-
venes Nobilissimi, Ornatissimi; quos Magnifici Dn. Rectoris no-
stri casus domesticus consauciavit: quos piè denati Dn. Doctoris,
Collegæ quondam, Præceptoris & Amici doctrina atque virtus,
dum in vivis esset, in amorem ejus allexit: postquam in vivis esse
desiit, ad honorificam funeris deductionem tanto numero, tanto
ordinum omnium concursu adduxit. Pium hoc vestrum est officii-
um, & justum, & quod in maximi beneficii parte Magnificus Dn.
Rector cum suis ponit: idque ipsum se in Kalendario scripturum,
cum summâ caritate & benivolentiâ semper usurpaturum, paria-
que vobiscum aut in similibus, aut, quod ipse malit, in lætioribus
facturum aliquando spondet: precatus interim vobis omnibus ac
singulis, tranquillitatem animi sine turbis, sanitatem corporis sine
morbis: gaudium sine mœrore: voluptatem sine dolore: vitam
sine terrore: viam sine errore: & tandem aliquandò
mortem sine horrore.

D I X I.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

V017

MC







50.
59

cula

arissimi Viri

NNIS,

HEOLOGI F.,

I,

e Doctoris ac Pro-

inarij

te ædes

o regnantis gratia

XIV.

exsequias iuerant,

T A

PHORO

RO,

s Professore

pie

RTMANNI,

iadrum.